



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

III. Procurationis vocabulum in eo sensu introductum erat desinente seculo duodecimo, ut probatur duobus locis illustribus. De luxu & popa Episcopi Eliensis in Anglia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

oppressi subditi huiusmodi onera non valebant supportare. Frustra enim fuit decretum Innocentij I. & Gregorij X. in Concilio Lugdunensi. Gradum deinde ad licentiam fecit Bonifacius octavus. Divites pro magna parte exempti à prestatione procurationum. Quo fiebat ut pauperes multum gravarentur. Abolita acem prorsus sunt illa procurationes.

I. REDEAMUS nunc ad procurationes quæ Legatis olim debebantur. Procurationis nomine intelligo epulas quæ ab inferioribus debentur Prælato visitanti, quas *comesiones* ob hoc ipsum vocat glossa in Clement. *Ad nostrum. De exactationibus.* Inde frequenter in scriptoribus medij temporis ille procuratus dicitur cui alimenta præbita sunt, & procurationis nomine intelliguntur, ut dixi, comesiones exhibitæ visitantibus, unde & *exhibere* quoque interdum dicebant pro *procurare*, ut notat etiam glossa in cap. *Vas electionis. De censibus. inter Extravagantes communes.* Gregorius igitur septimus sumptus Legatis præberi mandavit ab Archiepiscopis & Episcopis, uti supra diximus; nondum tamen declaratum erat ad illos spectare procurationem quæ ratione visitationis deberetur. Tandem quia Legati mittebantur ut provinciarum morbos introspicerent, quod fieri non poterat nisi visitarent Ecclesias, paulatim introductum est uti procuratio solveretur Legatis non secus ac Episcopis visitantibus Ecclesias suarum dioceseon. Quis primus istius constitutionis auctor fuerit non invenio traditum memoriæ literarum. Alexander III. præscribens modum procurationum episcopaliū in Concilio Lateranensi, nihil circa Legatos statuit, nisi si Legatorum dignitati prospexit, cum vetuit ne Cardinales parochias visitantes, viginti quinque evectiois numerum excedant. Necessarium autem erat modum quendam his rebus poni, quod, ut illic ait Alexander, quidam Episcopi ita graves in procurationibus suis subditis existebant, ut pro huiusmodi causa interdum ornamenta ecclesiastica subditi compellerentur exponere, & longi temporis victum brevis hora consumeret. Ex quo interim loco multam lucem accipient ea quæ supra relata sunt de querelis adversus Legatos, quorum violentia effectum est ut altaria nudarentur, vasa Dei asportarentur, cruces excoriarentur, & alia multa horrenda per provincias perpetrarentur.

II. Initio autem, ut supra observabamus, ea Legatorum procuratio modica fuit, quod præberetur tantum in victualibus, pauca porro sufficerent viris qui vice Apostolorum fungebantur. Vnde glossa in cap. *Cum instantia. De censib.* loquens de procurationibus quæ debentur Legatis apostolicæ sedis ait:

Tom. II.

Dabitur enim Legatis lac ad bibendum, ut dicit Ioannes, ne rubentibus buccis prædicent jejuniorum doctrinam. Addit autem Petrus Andreas Gambarus ista: At quæro quomodo debeant procurari Legati de latere. Respondeo quod debent acquiescere illis cibis qui dantur, & eos causa gratiarum actione suscipere. Decet enim eos esse parcos, & imitari Apostolos, quorum se successores faciunt. Aliàs quomodo possent visitando instruire plebem ad jejunia & ad bona opera, si rubentibus buccis & ventre delicatis epulis pleno evangelium Dei prædicarent. Et paulò post: Vnde dicit glossa in c. Cum instantia, quod Legatis dabitur lac ad bibendum secundum Ioannem, qui locutus est ex more patriæ. Erat enim Theutonicus. Aliàs lac debetur ei qui gregem pascit. Rursum glossa providens honestati Legatorum, prohibet eos in locis ubi procurantur bibere ultra tertiam vicem. Nec bibent, inquit, ultra tertiam vicem. Quia verò auctor glossæ, dum Legatis potestatem fecit exhauriendi tres calices, nihil dixit de magnitudine poculi, idcirco ista per jocum effudit idem Gambarus: Item nec bibent Legati ultra trinam vicem, sed de magnitudine poculi nihil dicitur. Cum autem post auctorem glossæ dixisset Legatos teneri comedere carnes cum aceto vel lardum, demum addit ista per consuetudinem abrogata esse. Instruit deinde eos apud quos Legati apostolicæ sedis hospitabuntur quoniam modo eos tractare debeant. Hæc sunt ejus verba: Meminisse tamen debent qui Reverendissimos procurant alia cibaria esse danda rusticis, alia nobilibus. Nam rustici cepis & fabis ac caseo utuntur; & si quis aliter eos procuraret, peccaret. Nobiles ergo, quales sunt Reverendissimi Cardinales, qui sunt superillustres & nobilissimi, sunt bonis & consuetis cibis procurandi.

III. Procurationis vocabulum, ad significandum tributum quod Legati imponebant provincialibus, receptum fuisse in Ecclesia desinente seculo duodecimo colligitur ex epistola Huberti Archiepiscopi Cantuariensis ad Capitulum Eboracense, cujus verba referentur infra, & ex epistola Hugonis Episcopi Coventrensis de defectione Vvillelmi Episcopi Eliensis, de qua superius actum est. Nam hæc sunt omnino ejus verba: *Et si forte alicujus Episcopi domum intravit, ab eo scire poteritis quod centum vel ducentarum marcarum pretio sua consliterit procuratio.* Verum itaque tunc erat quod Alexander III. observavit in canone quarto Concilij Lateranensis, quosdam ita graves in procurationibus existere suis subditis ut pro huiusmodi causa interdum ornamenta ecclesiastica subditi compellerentur exponere, & longi temporis victum brevis hora consumeret. Episcopus autem ille Eliensis, præter amplissi-

Gambari lib. 1. da auctoritate Legati g. 86.

Gambari lib. 1. da auctoritate Legati g. 86.

lib. 5. 94.

Vide infra cap. 11. g. ult.

T ij

mam familiam, mille & quingentis per Angliam equitaturis vehebatur, ut docet Matthæus Parisius.

IV. Nihil modestiores erant ceteri Legati, nihil eorum omittentes quæ ad pompam ac fastum & ad comparandas divitias pertinebant. Quare necessarium fuit Innocentio tertio maximo & doctissimo Pontifici, qui sedi apostolicæ præfedit paulò post casum Episcopi Eliensis, justis provincialium querelis satisfacere & modum aliquem ponere ambitioni & avaritiæ Legatorum. Scribens igitur ad Primicerium & Clerum Mediolanensem, qui procurationem solvere recusaverant Bernardo Tituli sancti Petri ad vincula Presbytero Cardinali & apostolicæ sedis Legato, declarat quidem omnes Ecclesias teneri ad impendendum procuraciones Legatis & Nuntiis apostolicæ sedis, & ab earum præstatione nullam prorsus haberi posse excusatam, nisi fortè per speciale privilegium sedis apostolicæ sit exempta; sed tamen eodem tempore procuraciones illas restringit ad necessaria, *predicto Cardinali vel potius nobis in ipso contumaciter resistentes, necessaria denegastis, & neminem ex ea præstatione vult indebitè prægravari. Sanè in his exigendis, inquit, eum modum & ordinem volumus observari, ut nulla Ecclesia vel Prelatus se indebitè prægravari rationabiliter conqueratur.*

V. Orta erat tempestas illa in Ecclesia Mediolanensi ex contumacia Canonicorum & quorundam ministrorum illius Ecclesiæ quos Ordinarios vocabant. Hi cum se longa possessione tuerentur ne procuraciones Legatis præstarent, ex eoque ceteri Clerici onerarentur, propterea quòd Legati sæpe illac commeabant, quibus necessariò præstanda erat procuratio, eò usque incaluit contentio, ut dicerent ceteri non soluturos se procuracionem nisi priùs eam Canonici perfolverent & nisi etiam Ordinarij parte illos oneris, ut æquum erat, sublevarent. Nam procuratio imponebatur à Legato quæ universis cujuslibet dioceseos Clericis incumberet, singulis autem portio sua cuique solvenda injungebatur ab iis quibus ea res committebatur in unaquaque diocesi. De ea re scribit Innocentius ad Abbatem de Cerreto, cui causam committit, simulque decernit quæ in posterum observanda essent. Sed antequam verba ejus referamus, necesse est proponere lectori fontem & originem tot malorum, frequentiam nimirum legationum. *Cum enim per civitatem ipsam, inquit Innocentius, sæpe contingat transitum facere nostros Nuntios & Legatos, quanto in eorum procuracionibus faciendis pauciores existunt, tanto facientes amplius prægravantur, & quanto per plures onus esset procu-*

rationis divisum, tanto à facientibus facilius portaretur. Tum commendata sollicitudine sua pro omnibus Ecclesiis curaque sua pro Ordinariis & aliis Clericis Ecclesiæ Mediolanensis, demum ita statuit: Volentes autem ut quod omnibus imminet ab omnibus comportetur, discretioni tuæ per apostolica scripta precipiendo mandamus quatenus predictis Ordinariis ad tuam præsentiam convocatis, nisi per speciale privilegium apostolicæ sedis à præstandis procuracionibus ostenderit se immunes, etiamsi longissimo tempore procuracionis obsequium non impenderint, cum in talibus sibi præscriptio locum nequeat vendicare, ipsos ad procuracionis sarcinam ordine debito subeundam appellatione remota teneri decernas.

VI. Quia verò Legati interdum excedebant modum sibi præscriptum, immo exigebant procuraciones ab iis etiam quos non visitabant, idem Innocentius huic malo mederi cupiens constitutionem edidit in Concilio Lateranensi anno MCCXV. in hunc modum: *Procuraciones quæ ratione visitationis debentur Episcopis, Archiepiscopis, vel quibuslibet aliis, etiam apostolicæ sedis Legatis aut Nuntiis, absque manifesta & necessaria causa nullatenus exigantur, nisi cum personaliter visitationis officium impendant; electionum & personarum mediocritatem observent in Lateranensi Concilio constitutam. Hæc quidem rectè & ex ordine Innocentius, & secundum jus ab ipso stabilitum in epistola ad Episcopum Slefvicensem in Dania. Sed quæ sequuntur in eadem constitutione Concilij Lateranensis, omnino evertunt ea quæ præcesserunt. Nam cum decrevisset ne quis ab Ecclesiis exigeret procuraciones, nisi cum personaliter visitationis officium impenderet, statim illud speciali privilegio indulget Legatis, ut si necesse sit eos alicubi moram facere necessariam, procuraciones recipiant etiam ab illis Ecclesiis quas non visitaverint. Subdit enim post ea quæ superius descripta sunt: *Hoc adhibito moderamine circa Legatos & Nuntios, ut cum oportuerit eos apud aliquem locum moram facere necessariam, ne locus ille propter ipsos nimium aggravetur, procuraciones recipiant moderatas ab aliis Ecclesiis vel personis quæ nondum fuerunt de suis procuracionibus aggravate, ita quòd numerus procuracionum numerum dierum quibus moram hujusmodi fecerint non excedat, & cum aliqua non suffecerit per se ipsam, due vel plures conjungantur in unum.**

VII. Huic juri is color quaesitus, ne loca in quibus Legati moram traxerint longiorem, nimium propter ipsos aggraventur. Tum itaque licere Legatis decernit Innocentius procuracionem exigere ab Ecclesiis quas non visitaverint. Scio ingens esse dif-

Innoc. III. lib. 1. epist. 118. & cap. Cùm instantia. De centibus.

Vide Petrum Paulum Paris. in cap. Accedentes. & in cap. Cùm ex officio. De præscriptionibus.

Innoc. III. lib. 1. epist. 169. & cap. Accedentes. De præscriptionibus.